

(1)

EPISTOLA PRIOR JOHANNIS. CAPUT I.



X Vers. 1. *Qvod erat ab initio, quod audivimus quod vidimus oculis nostris &c.* Talis quaestio emergit. 1. Num Christus sit verus Deus? Resp. Qvod sic, & probo seq. argumento. Quicunque est æternus, is est verus Deus. At Christus est æternus. E. Major ita prob: qvia solus Dus est æternus, i. Tim. VI. 16. Æternitas definitur, qvod sit simplex essendi indeterminabilitas. Requisita autem æternitatis duo sunt. 1. *αὐτεχέia* s. continuitas, ut nullam habens interruptionem & successione, nullumqve præteritum vel futurum. 2. *ἀπίσχεια* indeterminabilitas, ut principio & fine careat, imò ne quidem principium & finem habere possit. Hæc omnia cum soli Deo competant, Major facile constat. Minor vero prob. Authoritate Apostolica hujus loci: *Qvod erat ab initio, quod audivimus &c.* Per verbum vitæ h̄ic intelligitur ipse Christus, is enim hoc loco dicitur fuisse ab æterno. Phrasis E. fuisse ab æterno seu initio nihil aliud significat, qvām æternum esse. Hinc Reg. Theologica: *Qvoties phrasis hæc: Ab initio vel in initio absolute in S. Scriptura ponitur, toties significat vel initium mundi, vel æternitatem.* Hujus rei exemplum habemus Gen. 1. *In principio creavit Deus cælum & terram.* Hic phrasis in principio absolute ponitur absqve ulla determinatione; significat E. vel initium mundi, vel æternitatem, sed non hoc, E. illud. Sic Joh. 1. *in principio etat sermo & sermo erat apud Deum &c.* Ubi itidem per phrasim in principio, notatur initium Mundi. Item 2. Thess. II. 13. *Nos debemus DEO gratias agere semper de vobis, quod elegerit vos Deus ab initio ad salutem &c.* ubi iterum phrasis ab initio æternitatem notat, explicante eodem Paulo Ephes. I. 4. *Sicut elegit nos in ipso anteqvam jacerentur fundamenta mundi.* Dicitur enim Deus nos elegit sc. *τοὺς καταβόλης & κόσμον.* In eadem significatione & usurpatur 2. Tim. I. 9. *Qui salvos nos facit & vocavit vocazione sancta non secundum opera nostra, sed secundum propositum & gratiam,* quæ data est nobis per Christum Jesum ante tempora æterna, seu secularia.

A

lam